



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

Ricci, Bartolomeo

Mogvntiæ, 1605

4 De tribus reliquis paßionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

ris tenuitate, suspiriisq; crebris & assiduis ex intimo corde tractis, aliisque similibus quamplurimis indiciis.

VNICVM, sed efficacissimum antidotum (quod tertium erat) ad hanc ægritudinem animi sanandam est, rem plus nimio amatam amatori subtrahere, nullamq; amplius illi amandi materiam suppeditare: videmus enim hydropicum nullo alio antidoto efficacius sanari, quam potus subtractione. Vocavi autem amorem hunc infirmitatem spirituales absolutè: quia, licet notum sit non conuenire ei hanc nomenclaturam, nisi quando moderatio non obseruatur, tamen M. T. Cicero omnes passionnes ægritudinum nomine complectitur, eo quod homines raro moderato amore in creatas res ferantur. Quocirca & Doctor quidam notauit Christum apud Lucam signatè ita locutum. *Qui non ODIT patrem suum &c.* Sciebat enim rarò modum in parentibus diligendis seruari.

Luc. 14.

De reliquis tribus Passionibus.

C A P. IV.

IR A ex parte formæ suæ, quatenus est animi motus, definitur esse *appetitus vindicandi iniurias illatas*: ex parte verò materiæ.

teriæ, quæ est commotio corporalis, ab Aristotele libr. i. de animo in hunc modum definitur. *IRA est inflammatio sanguinis circa cor.* Et quia inflammatio cordis in homine irato sic augefcit, vt rationem eripiat, idcirco ab aliis sic describitur *Ira furor breuis est.* Ac sane non immerito confertur phrenesi, eo quod vtraq; ex nimio calore originem suam trahat, hæc in capite, illa verò (vt dictum est) in corde.

AGITATIONES, quas animus ab hac furiosa passione sustinet, facile conici possunt ex alterationibus, quæ in corpore sequuntur. In iracundo enim oculi quasi ardentes scintillant, despumat os, dentes strident & crepant, rugitus auditur leonum & mugitus bouum, nares contrahuntur, vno momento mira colorum varietas in vultu cernitur, nunc pallecente instar niuis, nunc rubescente, & feruescente instar ignis.

RESTINGVITVR ira, velut ignis, intra pectus eam suffocando, ne prodeat foras, haud secus quam candela vel fax altaris extinguitur iniecto emunctorio. Neque idoneum remediũ est comprimere eam vociferando, vel comminando: licet enim tunc videatur extincta, tamen non est hoc aliud quam ipsius passionis actum exercere, ac

E 2 effigere,

efficere, vt quando minime animaduerti-
tur, facilius & acrius obrepit, sicut contin-
git igni, quādo disiectis vndiq; lignis quasi
dissipatur, sæpe enim fit, vt delitescens ad
tempus, sæuius deinde erumpat, & grauius
excitet incendium.

QVARE sensim procedendum est: vt
primum indignationis verba cohibeas,
tum inconditos gestus & motus minarum,
ac denique accedes ad internos quoq; cho-
leræ impetus coercendos: licet sancti, & vi-
tæ spiritualis Magistri, sicut & Physici mo-
neant, à *facilioribus & notioribus esse incho-
andum*: quod intelligo maximè de exter-
nis, quia sensibus sunt manifestiora. Ac si-
milis quidem est ratio medendæ cholerae,
quæ est secundum Medicorum præcepta
phrenesis, vt nimirum semper exhalatio ca-
lida & sicca sopiatur, ne ascendat in caput.

TIMOR est animi perturbatio, nata ex
apprehensione mali impendētis, aut metu
boni amittendi. Varia accidentia quæ in ti-
midis apparent, declarant alterationem a-
nimi illorum. Sunt autem hæc fere, quæ se-
quuntur Colorum in vultu vicissitudo, tre-
mor vocis & genuum, ac nonnunquā cor-
poris totius, palpitatio item cordis, & simi-
lia. Quare non immerito comparatur pa-
ralysi,

ralysi, quæ est ægritudo corporis, ex solutione neruorum orta: vnde cum pro libito non possit mēbra mouere, contremiscunt.

M E D E M V R autem timori, sicut paralyfi. Medici enim ad eam curandam adhibent vnctiones & fomenta, quæ corroborent membra; & neruos in statum suum reducant. Tu quoq; certā timori medicinam facies, si rerum creatarum amorem corde tuo eximas, siquidem nihil formidamus amittere, nisi quod amamus. & aliud amor non est, quam solutio quædam animi erga rem amatā. Sublato ergo amore contrahet facile se cor ad iustum modum, atq; ita nō timebit amplius, nec tremet tam facile, si quid aduersi inciderit.

R E S T A T nunc, vt aliquid addamus de Melancholia, quæ est quædā animi inquietudo, nata ex re, quæ præter voluntatem acciderit; quamq; in imo pectoris quasi oppressam tenet. Vnde congruenter assimilari potest Lethargo, qui ex magna crassiorū vaporum multitudine, frigidorumq; generari solet. qui cum non possint capitis calore consumi, opprimūt cerebrum & somnolentiam illam efficiunt. Inquietudines autem, quas in animo creat, sunt ferè hæ. Dolor intolerabilis ob malum quod euenit.

E 3 suspi.

suspiciones variæ, cogitationes in vnam illam rem habere defixas, hanc expendere, ruminareque diu noctuq;, vigilia, & somno, timere omnes, nulli fidere, imaginari varia, cot innumeris phantasiis, haud secus quam ingentem pilam vento, adimplere, in solitaria loca & angulos se abdere & lucem omnem fugere.

ANTIDOTVM esto. primum excutere omnes inanes phantasias, etiamsi cum labore & molestia fiat, nam & lethargi morbus sic curatur, si lethargicum trudendo, pungendoq; eo vsq; excrucies, vt dormire non queat. Nam si id non fiat, & inchoatis phantasiis cursus suus permittatur, non facile expugnabitur melancholia, sicut lethargicus non facile reualefcet, si sopori in principio non resistatur, quo enim diutius dormit, hoc somnus altiores radices agit, vt tandem nec excitari possit, etiamsi ignita galea capiti eius imponeretur. ALIUD remedium est. vt pila inflata, si vel minimo cultello pungatur, omnem expirat ventum & detumescit, sic si melancholicus vel minimo confidentiæ cultello os aperiat citra dubium reualefcet. Nam experientia constat velut dicta pila quamdiu inflata est, dura videtur vt lapis, detumescens

gens

cens verò non est nisi quædam mollis & tenuis pellis, ita melancholicus deprehendit omnes cogitationes suas fuisse vanas & q vento turgidas, simulatque eas Patri spirituali patefecerit.

NEQUE mirère, quod primo loco posuerim remedia naturalia & humana, & non spiritualia ac diuina de recurſu ad DEVM per orationes. videmus enim Christum Saluatorem non ante sedasse tempeſtatem maris, quam Apoſtoli aliquanto tempore in remigando laboraſſent, vt narrat S. MARCVS dicens. *Vi-* *Mar. 6.*
dens eos laborantes in remigando, Venit ad eos, & ascendit in nauim, & ceſſauit ventus. Et veriſimile eſt, idem alias accidiffe, antequam eum in nauim dormientem excitauiffent, cum ei dicerent, vt habet B. Matthæus. *Domine, ſalua nos, perimus.* *Matt. 8.*
 Tunc enim exurgens, imperauit mari & ventis, & facta eſt tranquillitas magna. Adhibe ergo & induſtriam tuam in temperandis affectionibus prauis: maximè cum & hîc præſto habeas diuinum auxilium, ac vt aliquando illud deſit, poteris cum Apoſtolis fidenter exclamare. *Domine paſſionum venti vehemèter ferociūt, magnamq;*

E 4 in

in anima mea tempestatem excitarunt, quare & meditationis nauicula supra modum exagitetur, & est naufragio proxima. Precor itaque te supplex vt imperes huic mari, & his ventis, vt sequatur tranquillitas, egoque possim orationi commodè vacare. Inter materias, quas meditandas pro compressione passionum suscipere queas, S. THOMAS numerat considerationem rerum vniuersalium, vt v. c. nouissimorum, mortis, inferni, &c. Hac ratione passionem concupiscentiæ extinxit monachus ille, qui expendens pœnas inferni, probauit ignem ardentis candelæ. Alius verò representat vanam consuetudinem ridendi, dicendo. *Sistendus es ante tribunal Dei, & rides?*

De variis Preparationibus ad meditationem.

CAPVT V.

Quo ars aliqua nobilior & præstantior est, hoc pluribus, & subtilioribus vitur instrumentis, vt liquet in artificio aurificum, si comparetur cum opificio fabrorum ferrariorum. Cum ergo Meditatio sit exercitium vt dictum est supra, simile beatorum in cœlo, non debes mirari, si præter præparaciones iam numeratas dicamus superesse.